



**Miracula Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de
Liesse dictam effulsere**

Caoult, Walrand

Coloniae Agrippinae, 1607

Ad B. virginis inuocationem duarum mulierum innocentia comprobatur, &
fur tanquam facti reus condemnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

Mulier quædam à Gagia venerationis
ergo Camberonam aduenit, vbi in
totius conuentus presentia pro certo affirma-
uit infantulum suum in Buchiniensem fluui-
um miserè delapsum, postea verò ad aquæ de-
cursum ultra milliare raptum, indeque sanū
& incolumem extractum, vbi maritus cum
ipsa voto eum fecisset eo loci peregrinum.

AD B. VIRGINIS INVOCATIONEM

duarum mulierum innocentia comprobatur,

*& fur tanquam facti reus con-
demnatur.*

CAPVT XIV.

Mulieres duæ, mater & filia, è Monti-
bus Hannoniæ Camberonam vene-
runt, vt magna cum animi deuotione benedi-
ctæ Virgini Mariæ meritas gratias & laudes
referrent. Retulit porro mater latrones bina
vice suffuratos in ædibus filiæ, prima vice af-
tes triginta, vice altera tredecim florenos cū
pluribus monilibus, fure semper latente & in-
cognito. Interea temporis vna ex vicinis, ma-
ter scilicet eius qui facti reus erat, accusabat
matrem iunioris fæminæ, cui res furtiuè
erat ablata. Quam ob causam dicta ma-
trona, vt erat innocens, non mediocriter
commota, iraque succensa, donec pia memo-
ria animum piè reuocans Beatam Virgi-

nem Camberonensem, verum ac solidum desolatorum solatium & patrocinium, ad eam confugit, deuotè expetens vt eam citissimè dignaretur adiuuare, & ab infamiae labe expurgare, quæ illi contra omnem acquiratam falsò imponbarur, & cum in finem se ipsam illi in futurum deuouebat peregrinam. Non fuit frustranea eius oratio, neque vlllo modo passa est repulsam supplex & iusta eius petitione filius siquidem vicinæ paulò post ob debitum apprehensus, tum etiam quia mortem intenterasset mulieri spoliatae, & eius marito tandem aliquando se furti antedicti reum agnouit, ratione cuius & vitam perdidit, sicque prædictæ duæ mulieres euaserunt incolumes, benedicta Virgine Maria adiutrice.

AD EIVSDEM INVOCATIONEM
captiuus quidam libertate donatur.

CAPVT XV.

Quidam Baillonanus minor natu per Saracenos in carcerem & vincula aëritate coniectus, voto se B. Virgini Camberonensi fecit peregrinum, & consecutiue magna cum animi læticia & alacritate carceris molestias euasit, prout ipsemet retulit.